



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 70. Maximiliani conatus ad constandum fœdus contra Gallos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A.C. 1487.

de Philosophia disputandi genus, & hanc de literis publice disceptandi institutionem non approbant, ad pompam potius & doctrinæ ostentationem, quam ad comparandam eruditionem esse oblatrantes. Nonnulli me audacem dicebant, & temerarium, qui hac ætate de sublimibus Christianæ Theologiæ mysteriis, de incognitis disciplinis disputationem proponere non dubitarem: multi quod de tot numero, id est, de nongentis disputaturus essem quæstionibus, me accusabant, & superflue, & ambitiose, & supra vires id factum calumniantes; quidam his non contenti me etiam magum, impium, & novum in Christi Ecclesia hæresiarcham prædicabant. In hoc uno mihi objecto hæresis crimine tacendum haud putabam; scribit enim Ruffinus, esse quidem gloriosum Christi exemplo patienter injurias tolerare; at unam notam hæreseos, qui ferat, vel dissimulet, non esse Christianum, & Hieronymus inquit: nolo in suspitione hæreseos quemquam esse patientem. Postea respondet illis, qui genere hoc disputandi, numerosa propositarum rerum multitudine, & præcipue ex eo offendebantur, quod arcana hebraicæ Cabalæ detexisset.

## §. LXX.

*Maximiliani conatus ad conflandum  
fœdus contra Gallos.*

*Equidem fœdere Gallos inter & non-  
nullos*

Sæcul. XV. nullos Britanniae Proceres firmato,  
 A C. 1487. haud parum Britanniae Dux, necnon  
 Aurelianensis fautores turbabantur; ast  
 Argentr. omni penitus spe excidebant, postquam  
 hist. Britan. Maximiliani Romanorum Regis consilia  
 lib. 12. optato frustrabantur successu. Nihilomi-  
 nus plurimum adhuc praesidii in hoc Prin-  
 cipe reponebant, eoquod ipse adversus  
 Franciam armorum societatem inire ad-  
 laborasset, ac hujus foederis socios praeci-  
 pue Lotharingiae Ducem, Reges Ca-  
 tholicos, Ducem Sabaudiae, Albretum,  
 Borbonium Ducem Connestabilem Fran-  
 ciae, aliosque sibi adjungere niteretur.  
 Verum & hi quoque conatus incassum  
 ceciderunt; quippe Bellojoviensis Comi-  
 tissa Lotharingiae Ducem in fide retinuit,  
 pollicendo eidem Provinciam, quamvis  
 haec Francici juris esset: Rex vero Arrago-  
 niae aliunde bello contra Mauros totus  
 occupatus erat, & Sabaudiae Dux, cum  
 litem de Salutarum Marchionatu com-  
 poni speraret, Franciam sibi infensam red-  
 dere pertimescebat. Denique eo tempo-  
 re Conestabilis denuo in Bellojoviensis  
 Comitis fratris sui, atque Administratri-  
 cis gratiam redibat. Itaque praeter Al-  
 bretum Principem nullus huic foederi no-  
 men dabat; hic enim, quamvis non mo-  
 do Aurelianensem Ducem, sed & Roma-  
 norum Regem corrivales haberet, spe ta-  
 men nuptiarum cum Haerede Britannae  
 adeo

adeo plectus erat, ut foedus iniret, quo pollicitus est, quod centum suos lancearios, qui tum Gallorum stipendia merebantur, a Regis exercitu avocare, atque in Britanniam ducere velit.

Sæcul. XV  
A.C. 1487.

§. LXXI.

*Urbs Nannetensis in Britannia a regio exercitu obsessa.*

Interea Carolus VIII., occupatis Aquitannæ urbibus, die septima Martii Burdigalam solemni pompa ingressus est: inde Pictavium contendens, Parthenæam urbem, ut se dederet, sollicitatam, mox pactis conditionibus occupavit. Postea exercitum in quatuor agmina divisum Britanniam versus duxit, dato negotio, ut uno impetu in illam ex quatuor diversis partibus irruerent; ipse vero, ut eo citius hujus expeditionis successum edoceri posset, Lavalli in Cenomania substitit. Hic exercitus triplo major erat, quam foederis cum rebellibus Britannis initi legibus præfiniebatur, unde illius adventu Britannæ Dux anxiis curis pressus, nulla mora copias suas contraxit, hostem repulsurus; verum vix non eodem tempore compluribus suorum amissis, cum residuis quatuor millibus Venetum sese recipere compellebatur: cum vero hujus etiam urbis obsidionem vereretur, post bre-

Gaguin lib. II.  
Bellef. lib. 5.  
c. 153. & 159.